

CAPUT III.

DE ACCIDENTE GENERATIM.

ARTICULUS I.

Declaratur notio accidentis.

Quid accidens
in sensu
latissimo.

302. Accidens dicitur per contrapositionem ad substantiam. Quamobrem, sicut substantia in latissimo atque improprio sensu idem valet atque essentia, quemadmodum in præcedenti capite monuimus, ita etiam accidens in latissimo sensu intelligitur quævis forma vel quasi forma denominationem aliquam contingentem, aut certe non essentialiam, tribuens subjecto, cui proinde inesse aliquo modo concipitur: sub qua generalissima minusque propria acceptione continentur omnia prædicata, quæ sunt extra subjecti definitionem (1), sive tandem in sua physica natura sint substantiale aliquid, sive non; positivum vel negativum; intrinsicum vel extrinsecum. Quo modo ipsa differentia specifica respectu generis, puta rationale respectu animalis, dici potest accidens (2), itemque existentia in rebus creatis dicitur accidens respectu essentiae illarum (3). Et accidens in hac amplitudine acceptum dividi potest in *logicum* seu *prædicabile* vel *in prædicando*, et in accidens *metaphysicum* vel *prædicamentale* seu *in essendo*, quod etiam vocari solet *physicum* aut *naturale*. Ad rem Angelicus: *Accidens a Philosophis dupliciter accipitur: uno modo secundum quod dividitur substantiæ, et continet sub se novem rerum genera* (accidens metaphysicum vel prædicamentale)... *Alio modo accipitur accidens secundum quod ponitur ab Aristotele unum de quatuor prædicamentis in primo Topicorum* (4), *et secundum quod a*

Accidens
prædicamentale
et logicum.

(1) Vide S. Thom., de Pot., q. 7, a. 4 ad 8.^{um}

(2) S. Thom., Quodlib. 2, a. 4 ad 1.^{um}

(3) S. Thom., Quodlib. 2, a. 3; Quodlib. 12, a. 5; De Natura generis, cap. 4, fin. et sepe alias.

(4) Cap. 4.

Porphyrio ponitur unum quinque universalium (1). Sic enim accidens non significat id, quod commune est novem generibus, sed habitudinem accidentalem prædicati ad subjectum, vel communis ad ea quæ sub communi continentur. (En accidens logicum vel prædicabile) (2).

Nostrum autem non est hic agere de accidentibus in sensu logico seu de accidentibus in prædicando, nimirum de illis prædicatis, quæ, quidquid *sint* in sua physica realique entitate, non essentialiter nec necessario, sed pure contingenter prædicantur de subjecto aliquo, verum de accidentibus, quæ quomodolibet prædicari possint de subjecto, sunt talia in essendo, seu habent physicam entitatem non substantialem. Quæ ideo vocantur *metaphysica*, quia hæc sola spectant ad Metaphysices considerationem, quæ non modos prædicabilitatis contemplantur, sed realitates ipsas ac rationes prædicabilem, prout sunt in seipsis: vocantur etiam prædicamentalia, quia accidentia hujusmodi constituunt novem illa prædicamenta diversa a prædicamento substantiæ.

Agendum
hic de
prædicamentali,

Est ergo accidens metaphysicum *ens in alio*, intellige ut in subjecto inhæSIONIS, seu *ens indigens alio, cui tamquam subjecto inhæreat ad existendum*; nimirum, ut explicat S. Thomas, *accidens... est res, cujus naturæ debet esse in alio tamquam subjecto* (3), quod proinde independenter ab hujusmodi accidentali entitate, quam in se recepit, habet jam suam essentiam et *esse specificum completum* (4). Quare accidens nec est pars subjecti nec tanquam comparans cum eodem subjecto ad aliud tertium, quod sit unum per se, constituendum concurret, sicut forma substantialis v. g. cum materia conflatur corpoream substantiam unam; nec proinde communicat subjecto ullum *esse simpliciter*, sed supponendo illud completum ac perfectum specificè, solum communicat *esse* aliquid secundarium ac secundum quid,

(1) In Prædicabilibus, cap. 4.

(2) S. Thom., de Spirit. creat., art. 11, post. med.

(3) Quodlib. 9, a. 5 ad 2.^{um} Cfr. 4.^o dist. 12, q. 1, a. 1, solut. 1.^{um} ad 2.^{um}; 3 p., q. 77, a. 1 ad 2.^{um} Cfr. Aristot., de Prædicam., cap. 2, et Coaimbric., Tollet., Rubius ac Complutens. in eundem locum.

(4) S. Thom., de Anim., lib. 2, lect. 1, paragr. d; de Spirit. Creat., art. 3. Cfr. Suar., disp. Met. 37, sect. 2, n. 8.

conferendo illi per modum extraneæ naturæ affectionem, complementum aut perfectionem aliquam, quæ speciem atque esse specificum illius intactum relinquat. *Quia esse est actus entis*, inquit Angelicus, *hoc autem verbum inesse est designans inherentiam accidentis; ideo inesse rei perfectæ est esse accidentis, quod extraneum a rei natura esse necesse est* (1). Quæ causa est, cur nulla res, ex eo quod accidens aliquod in se recipiat vel amittat, incipiat vel desinat esse simpliciter, sed tantum incipiat vel desinat esse *talis*, vel *tanta*, vel *hoc*, vel *illo modo se habens* (2).

Ex præjacta notione accidentis plura facile colliguntur.

Accidens in sua
notione
essentialem
næperfectiōnem
involvit

303. COROLLARIUM 1.^{um} *Accidens necessario imperfectionem importat*, estque ens aliquod *physice* incompletum, quia ipso essentiali conceptu suo importat ordinem ad compositionem cum subjecto, cum sit *ens in alio*, cujus nimirum essentia debetur esse in alio. Dixi *physice* incompletum, nam metaphysice completa sunt omnia accidentia, quæ in prædicamento constituuntur directe, qualia sunt genera, species et individua novem prædicamentorum: hæc enim omnia concipiuntur a nobis per modum alicujus completi in ordine suo, secus atque differentia specificæ v. g., quæ semper apprehenduntur tanquam partes constitutivæ alterius. E converso substantia omnis completa in suo genere dicitur ens completum, etiamsi substet accidentibus, quia cum ex se habeat independentem ab accidentibus esse suum specificum, nullum ab his revera mutuatur complementum substantiale (3).

habere suam
essentiam atque
existentiam ab
essentia
et existentia
substantiæ
distinctam.

304. COROLLARIUM 2.^{um} *Accidentia suam habent propriam essentiam et existentiam distinctam ab essentia et existentia substantiæ*, quam informant, utcumque debilem atque imperfectam. Habent essentiam propriam, quia sunt aliquid reale, et nihil reale potest esse sine sua propria essentia. Habent etiam suam existentiam, non solum quia essentia et existentia re non distinguuntur, sed etiam quia existentia seu esse

(1) Opusc. de Natura accident. paulo post init.

(2) Vide S. Thom., 1 p., quæst. 76, art. 4. corpor., Opusc. de Princip. natur., initio.

(3) Vide S. Thom., Opusc. de Ent. et essent., cap. 7.

accidentium accidentale est, existentia vero substantiæ est substantialis. Et est hæc expressa doctrina S. Thomæ non uno in loco proposita (1), quam alii communissime sequuntur, ut notat Eximius Doctor (2).

(1) Vide Opusc. de Ent. et essent. cap. 2 et 3; de Spirit. Creat. a. 3; 4.^o Contr. Gent. cap. 14. Quamvis autem in Deo ponatur etc.; 4.^o disp. 12, q. 1, a. 1, solut. 3 ad 5.^{um}; 3 p. q. 77, a. 2, etc. Cfr. Suarez, disp. Met. 31, sect. 11, n. 23; Molina in 1.^{am} p. q. 2, disp. 2. Secundo quoniam...

(2) Loc. cit.

Hic cl. P. Ludovicus de San (Institut. Metaphys. special., Cosmolog., cap. 6, de Accident. corp., paragr. 4, pag. 410. Lovan. 1881) eam sententiam tribuit Eximio Doctori, quæ tenet existentiam, per quam existit accidens, non solum realiter distingui ab existentia substantiali entis, sed eam cum quidditate accidentis penitus identificari; ideoque talem existentiam non primo cadere in compositum ex substantia et accidente, sed eam esse exclusive propriam accidentis. Quam doctrinam colligit ex Suarezio (disp. 7 Metaph., sect. 13, disp. 16, sect. 1; disp. 31, sect. 1; disp. 32, sect. 2; disp. 37, sect. 2). Addit mox idem cl. scriptor quædam alia ad analogiam et unitatem conceptus entis spectantia, quæ, quamvis non penitus accurate dicta existimo, prætermitto tamen, quia abunde tractata sunt in prima disputatione.

Neque etiam hic immorabor in prima parte doctrinæ, quam P. de San tribuit Suarezio: id unum s. tis sit dicere, doctrinam de identitate essentie et existentia, sive in substantiis sive in accidentibus, et auctoritate et ratione adeo esse probabilem, quæ nullius prudentis viri censuram mereatur.

Cetera vero, quæ præclarus auctor doceri a Suarezio asseverat, adeo gravia crimina reputantur inter Scholasticos, ut præterire tacitus nequeam; si enim vere illa docuit Eximius Doctor, reprehendus est, si autem non docuit, vindicandus ab illata calumnia. Itaque si accidentium exclusive propria existentia nihil aliud significet, quam existentia accidentalis a substantiali contradistincta; communis est hæc vox Philosophorum, sive essentiam ab existentia distinguunt, sive non distinguunt, accidentibus suam competere existentiam, nec dissentiunt, nisi pauci Thomistæ, quemadmodum ipsemet testatur Franciscus Suarez (Disp. Metaphys. 31, sect. 11, n. 23, 24). Si vero nomine existentie accidentium exclusive propriæ significetur existentia, quam composito accidentali minime communicet, falso imponitur tanto viro talis opinio, ejus contrarium disertissime proficitur in hac propositione: *Dicendum est, inquit, formam accidentalem habere suam propriam esse existentie, quod subjecto communicat, cum illud informat* (Suarez, loc. nup. cit., n. 24). Quam propositionem ibidem demonstrat, atque in utraque opinione sive distinguuntur sive non distinguuntur existentiam ab essentia probari. Solum

Est autem debilis et imperfecta hujusmodi essentia et existentia, ut per se patet, quia accidens est incapax per se

addit aliquid, quod causam præbere potuit P. Ludovico de San, ut contrarium Suarezio appingeret. Dicit nempe se neque intelligere, neque fundamentum videre, cur credendum sit, «quod... forma accidentalis conferat subjecto existentiam *re ipsa a se distinctam*... Nam albedo hoc ipso præcise, quod inhaeret subjecto per suammet entitatem constituit illud album, et hoc esse dare illi, ut sit album: ergo omne aliud esse albedinis est supervacaneum et sine fundamento confectum (Suarez, *ibid.*, n. 28). Quibus in verbis Suarez non negat, quod accidens communicet suum esse substantiae, atque adeo composito accidentali, sed tantum asserit, quod non communicet existentiam ab ipsa sua entitate distinctam, ac proinde in sententia distinguendum essentiam ab existentia se non posse intelligere, quomodo accidens suam existentiam communicet subjecto. Atqui id certissime non est idem, ac negare quod accidentia communicent suum esse subjecto, aut sibi exclusive reservare suam propriam existentiam. Ergo falso imponitur Suarezio contraria doctrina.

Præterea falso imponitur Suarezio, quod docuerit existentiam accidentium primo et per se non cadere in compositum ex substantia et accidenti. Nam præcise oppositum aperte docuit non uno in loco. Quod ut bene intelligatur, nota in compositis in illud primo et per se cadere esse, quod primo et per se fit. Jam vero quaerit Suarez, utrum forma, quae fit in materia per actionem dependentem ab illa, per se fiat. Et propositis duabus sententiis, quarum altera tenet formam proprie ac per se fieri, altera vero, quae distinguens duas actiones in effectione formarum hujusmodi materialium, asserit per primam fieri formam et per alteram uniri materiae; concludit utramque falsam esse. Priorem vero ita repellit: «Ejus est per se primo fieri, cuius est esse, cum fieri tendat ad esse. Sed id proprie est, quod subsistit. Ergo id proprie fit. Sed hæc formæ non subsistunt, sed composita ex ipsis (et consequenter nec sunt formæ, sed composita ex eis). Ergo ad composita proprie et principaliter terminatur actio» (Suarez, *disp. Metaph.* 15, sect. 4, n. 4). Ac mox claritatis gratia distinguit cum communi terminum actionis qui seu ut quod, et quo, atque compositum esse terminum qui, propterea quod per se primo fit, formam autem esse terminum quo, quia per eam constituitur compositum. Deinde respondendo ad rationes prioris sententiae, scribit, loquendo de ordine temporis, utrumque simul fieri, compositum et formam, loquendo autem de ordine naturæ compositum non solum prius fieri, sed absolute illud solum fieri per hanc actionem, forma enim solum confit. «Et quamvis demus, inquit, in aliquo genere causæ formam prius natura educi quasi ordine executionis, absolute tamen non intelligitur terminata actio, nec factum id, quod per se primo intenditur, donec sit totum compositum». (Suar., *disp.* 15, loc. cit., n. 5). Jam

standi, ac fulcimentum requirit subjecti. Et ideo etiam acci-

qui talia scribit, profecto tenet existentiam formæ per se primo cadere in compositum, multoque magis si sentiat, ut sentit Suarez, essentiam ab existentia re non distingui. Atqui hæc, quæ generatim docet Suarez de formarum educatione, monet diserte de productione formarum accidentalium seu accidentium intelligenda esse. Ergo non nisi per meram calumniam accusari Doctor Eximius potest, quasi negaverit existentiam accidentium ita illis esse exclusive propriam, ut non primo cadat in compositum, sed in ipsa accidentia.

Minor subsumpta constabit ex verbis ejusdem Suarezii: «Atque hinc obiter colligitur, hanc sententiam non solum in substantialibus formis, sed etiam in accidentalibus veram esse... Nam Aristoteles universaliter loquitur (*Metaphys.* lib. 7, text. 26 et 27; lib. 12, text. 12 et 18), et maxime adhibet exempla in accidentibus. Nam ut ibidem ait, ratio eadem est, quia multo magis accidentia non per se fiunt, sed ut unita subjectis et ex illis. Nec refert, quod sint entia per accidens, nam realem et veram et physicam compositionem habent, quam per se includit illa actio (productiva accidentis), et ideo per illam fit per se primo compositum accidentale...» (Suarez, loc. cit., *disp.* 15, sect. 4, n. 6). Similis doctrina colligitur omnino ex iis, quæ idem insignis auctor scripsit declarando effectum formalem accidentalis formæ. (Suar., *disp.* 16, sect. 1, num. 10). Mihi hæc habet idem Eximius: «Cum forma accidentalis fit in subjecto et ex subjecto, non prius creatur, quam unitur, et ob eandem causam non potest seipsam active unire subjecto, quia nec potest seipsam de potentia subjecti educere, neque ante unionem, etiam secundum naturæ ordinem habet esse existentia... Et ex eadem radice est, quod talis forma eadem actione et ab eodem agente recipit inhesionem, a quo recipit esse». (Suar., *disp.* 34, sect. 6, n. 11). Quibus in verbis Suarez contradictoria docet iis, quæ eidem P. de San imputat.

Hinc incommoda quæ P. de San congerit adversus Suarezium, re vera ipsi nullum facessunt negotium, quia Suarez nunquam dixit accidens secundum se esse susceptivum totum esse, nec accidens esse divisum secundum suum esse a substantia, nec habere ullum esse exclusive proprium in sensu intento ab adversario ejus; sed omnino contraria docuit, ut vidimus. Quod vero accidens in sententia Suarezii futurum sit extraneum substantiæ, ut concludit P. De San, non est incommodum, sed communis et verissima doctrina S. Thomæ sic scribentis: *Inesse rei perfectæ est esse accidentis, quod extraneum a rei natura esse necesse est.* (S. Thom., *Opus. de Natura accidentis*, paulo post init.). Quod attinet accidentis cum substantia unionem factam per modum actualis inhaerentiæ, quam in Suarezio P. de San tamquam inintelligibilem, immo et contradictoriam, reprehendit; meminere in primis clarus scriptor, explicationem hanc communem esse Doctori Eximio cum multis Thomistis ac nominatim cum Joanne

dentia dicuntur habere essentiam, non simpliciter, sed secundum quid (1).

Quomodo
accidens dicitur
ens ens:

305. COROLLARIUM 3.^{um} Hinc patet cur passim et quidem merito, dicatur accidens esse non tam ens, quam *entis ens* (2). Non quod accidens nullam habeat entitatem propriam, sed quia sola substantia est ens ratione sui aut per se ac propter se; ens enim simpliciter dicitur id, quod non existit ut aliud afficiat, sed in se subsistit: unde etiam quando quaeritur quid res aliqua sit, respondetur per solam substantiam, dicendo v. g.: *Est lapis, equus, homo*, quia per solam rationem substantialem quaeris res constituitur in ratione simpliciter entis. Accidens vero cum essentialiter postulet esse in alio; ex propria natura habet ut non sit sibi, nec sui, sed substantiae, in qua est, ideoque non existit, nisi ut afficiat actuetque subjectum seu substantiam. Ergo revera est accidens ens entis, substantiae nimirum recipientis in se, sustentatis ac possidentis illud tamquam suum (3). Unde etiam ratio entis, ut alibi probatum est, analogice, non univoce convenit substantiae et accidenti. Ad rem Doctor Angelicus: *Esse convenit proprie subsistentibus, sive sint simplicia, sicut substantiae separatae, sive sint composita, sicut substantiae materiales. Illi enim convenit esse quod habet esse, et quod est subsistens in suo esse. Formae autem et accidentia et alia hujusmodi non dicuntur entia, quasi ipsa sint, sed quia eis aliquid est: ut albedo ea ratione dicitur ens, quia ea subjectum est album. Unde secundum Philosophum (7.^o Metaph. text. 2) accidens magis proprie dicitur entis, quam ens...* (4).

a S. Thoma (*Philos. natur.*, Secund. par., quaest. 9, art. 2, *Respondetur, quod inhærentia*), viro inter suos et inter omnes Scholasticos haud infimi subsellii; nec vero absurdi quidpiam in ea vel contradictorii esse videbit ipsemet, si animo sedato legat Eximium Doctorem. Qua de re quia alibi agendum est, plura hic dicere necesse non est.

(1) S. Thom., *Opusc. de Ent. et essent.*, cap. 2 et 7.
(2) Vide Aristot., *Metaphys.* lib. 7, cap. 1. Cfr. S. Thom., *ib.*, lib. 7, lect. 1; et 1 p., quaest. 45, art. 4 etc.

(3) Cfr. S. Thom. 7.^o *Metaph.*, lect. 1, paragr. 6; et Fonseca in lib. 7, *Metaph.* cap. 1, in comment. init.

(4) 1. p., q. 45, a. 4. Cfr. 1. p., q. 90, a. 2; *de Potent.* q. 7, post init.; q. 3, a. 8, et saepe alibi.

Ex qua doctrina concludit Aristoteles accidentia considerata in abstracto, puta *albedinem, sessionem, ambulationem* etc. minus adhuc esse entia, quam in concreto considerata, v. g. *album, sedens, ambulans*; quia licet in utraque consideratione idem sit formale objectum cognitionis, entitas nimirum accidentalis, at cum concipitur in abstracto, exprimitur eo modo quo esse non potest, quia nequit accidens ita separatim existere; cum vero concipitur in concreto, exprimitur in mente nostra eo modo quo potest esse, ac est naturaliter (1).

Cæterum quod accidentia sint in vero sensu entia secundum latissimam entis acceptionem, certissimum est apud omnes Philosophos, Aristotele duce, et constat vel ex eo solum, quod ab omnibus omnino dividitur ens in substantiam et accidens, quod deinceps dispescitur in novem prædicamenta, licet substantia sit prius et simpliciter ens, et accidens posterius et secundum quid, quemadmodum docet Stagirita in eodem ipso loco, unde proloquium illud: *Accidens est potius entis ens*, derivatur (2). Atqui quomodo posset ens dividi in substantiam et accidens, nisi accidens quoque participaret rationem entis utcumque imperfecte in latissima illa acceptione, in qua ens importat aliquid reale, et opponitur nihilo?

est tamen ens
in vero aliquo
sensu.

306. COROLLARIUM 4.^{um} *Accidentis esse est inesse*, quemadmodum fert aliud effatum peripateticum. Ratio autem est, quia accidens est *ens in alio*. *Quia esse est actus entis*, inquit Angelicus, *boc autem verbum inesse est designans inhærentiam accidentis, ideo inesse rei perfecta est esse accidentis, quod extraneum a rei natura esse necesse est* (3). Probe autem nota, vim hujus effati non esse hanc, ut velit, inhærentiam esse formaliter ipsam existentiam seu esse accidentis, sed tantum modum essendi seu existendi sibi

Accidentis
esse est inesse:

quomodo
id intelligendum
sit.

(1) Vide Arist., lib. 7, *Metaph.*, text. 3; et *ibid.* S. Thom., lect. 1, paragr. c.

(2) Vide Arist. lib. 7, *Metaph.* initio. Et S. Thom., *ib.*; et 0 lib. *Metaph.*, lect. 1, init.; Suar. disp. *Metaph.* 31, sect. 2, n. 17-20. Vide supra num. 58, fin.

(3) *Opusc. de Natur. Accidentis*, paulo post initium.

naturaliter debitum, quia nimirum accidens esse naturaliter habere nequit, nisi inhaerendo subjecto, ut rectissime notat Aquinas: *Inesse non dicitur esse accidentis absolute, sed magis modum essendi, qui sibi competit ex ordine ad causam proximam sui esse (subjectum videlicet). Et quia remoto ordine accidentis ad causam proximam adhuc potest remanere ordo ipsius ad causam primam, secundum quem modum ipsius essendi non est inesse, sed ab alio esse; ideo potest Deus facere, quod sit accidens, et non insit, nec tamen esse accidentis ab accidente removebitur, sed modus essendi* (1). Verum sensus hujus axiomatis magis patebit inferius, cum inquiretur, utrum repugnet accidentia extra subjectum existere. Unum vero hic nota, inhaerentiam in subjecto, quae generatim propria esse dicitur accidentis, non esse ejusdem prorsus rationis in omnibus accidentibus. Nam accidens *habitus vel indumenti*, quod constituit ultimum ex vulgaribus decem praedicamentis, non habet inhaerentiam intrinsecam, seu physicam unionem cum subjecto, sed solum extrinsece adhaeret: unde solum denominat illud, quin intrinsece efficiat. Simili modo actio in sententia probabilissima non *inhaeret*, ac recipitur in suo subjecto, a quo denominatur, nimirum in agente, sed in passo (2).

Inhaerentia
accidentis varie
accipienda.

Accidens
definiri nequit
nisi per addita-
mentum,
videlicet per
subjectum.

307. COROLLARIUM 5.^{um} *Accidens definiri nequit nisi per subjectum* (3). Ratio quia cum non habeat essentiam completam nec esse absolutum per se a subjecto, sed ab eo dependens, cumque de ratione accidentis sit inhaerentia modo nuper explicato, inhaerentia vero explicari nequeat sine subjecto; intelligi, prout est in se, accidens non potest, nisi per ordinem atque habitudinem ad subjectum. Apposite S. Thomas: *Substantia..... quae habet quidditatem absolutam, non dependet in sua quidditate ex alio. Accidens autem dependet*

(1) 4.^a dist. 12, q. 1, solut. 1, ad 1.^{um} Cfr. *Quodlib.* 3, a. 1, in respons. ad difficult.; et *Quodlib.* 9, a. 5; pp. q. 77, a. 1.

(2) Vide Suar., disp. *Metaph.* 37, sect. 2, n. 8.

(3) Vide Arist., lib. 7, *Metaph.*, cap. 1 initio, et cap. 4, text. 12, et cap. 5, text. 10; et S. Thom., lib. 7, *Metaph.*, lect. 1, lect. 3, paragr. 2; lect. 4, paragr. f.; de *Ent. et essent.*, cap. 7; *Quodlib.* 3, a. 5, ad 1.^{um} et 1. 2, q. 53, a. 2, ad 3.^{um}

a subjecto, licet subjectum non sit de essentia accidentis. Sicut creatura dependet a Creatore, et tamen Creator non est de essentia creaturae; ita quod oportet exteriorem essentiam in ejus definitione poni. Accidentia vero non habent esse, nisi per hoc, quod insunt subjecto, et ideo eorum quidditas est dependens a subjecto. Et propter hoc oportet, quod subjectum in accidentis definitione ponatur (1).

Unde etiam fit, ut definitio accidentis non possit esse perfecta et essentialis, sed illius generis dumtaxat, quae dicitur definitio per additamentum, fierique solet, cum res declaratur per ordinem ad aliquid, quod est extra essentiam definiti, ut est proculdubio subjectum extra essentiam accidentis (2).

Dices doctrinam hanc veram non videri in abstractione mathematica, siquidem Mathematicus considerat ac definit quantitatem, quae accidens est, sine ordine ad subjectum.

Respondeo cum Suarez (3), « Mathematicum abstrahere a subjecto *sensibili*, id est sensibilibus qualitatibus affecto, non tamen abstrahere simpliciter a subjecto, quia considerat quantitatem ut rem materialem et corpoream, et consequenter in materia vel substantia existentem: et ideo dicitur abstrahere a materia sensibili, non vero intelligibili. Responsio est sumpta ex doctrina D. Thomae (4): et Albertus idem sentit (5), Javellus (6), et Antonius Andreas (7). Adde deinde Mathematicum non considerare *expresse* habitudinem ad subjectum, sed valde implicite, quia non *considerat essentiam quantitatis*, sed solum proprietates et proportionales ac figuras, quae ex quantitatis extensione oriuntur, ad quas impertinens est quod concipiatur quantitas ut forma inhaerens

(1) S. Thom. 7. lib. *Metaph.*, lect. 4, paragr. f. Cfr. Suar., disp. *Metaph.* 37, sect. 2, n. 15.

(2) Cfr. S. Thom., *Quodlib.* 9, art. 3 ad 1.^{um}, 4.^a dist. 12, q. 1, a. 1; *Metaph.*, lib. 7, lect. 4, paragr. f. etc. Vide *Logicam*, n. 75, 78. Cfr. Tolet., in lib. 1.^{um} *Posterior.*, cap. 4, quaest. 1.

(3) Disp. 37 *Metaph.*, sect. 2, n. 16.

(4) 1 p., quaest. 85, art. 1 ad 2.^{um} Opusc. *Super. Boet. de Trinit.*, quaest. 5, art. 3.

(5) 5.^a *Metaph.*, tract. 3, cap. 2.

(6) Lib. 7.^a *Metaph.*, quaest. 1.

(7) *Metaph.*, lib. 6, quaest. 3.

subjecto, vel ipsum quantum extensum in quo sunt partes et superficies ac lineæ».

Cæterum prout accidens significetur in abstracto vel in concreto, diversimode ingreditur subjectum definitionem illius. Si enim accidens exprimitur in abstracto, subjectum ponitur in definitione solum in obliquo, et per modum differentie specificæ, ut cum *quantitas* definitur accidens extensivum *substantiæ*; si vero in concreto, subjectum ponitur per modum generis, ut si quantum definiatur *substantiam extensam in partes integrantes*. Quocumque modo, inquit Doctor Angelicus, significetur accidens, habet dependentiam a subjecto secundum suam rationem; aliter tamen et aliter. Nam accidens significatum in abstracto importat habitudinem ad subjectum, quæ incipit ab accidente, et terminatur ad subjectum, nam albedo dicitur, quia aliquid est album; et ideo in definitione accidentis abstracti non ponitur subjectum, quasi prima pars definitionis, quæ est genus, sed quasi secunda quæ est differentia; dicimus enim, quod simitas est curvitas nasi. Sed in concretis incipit habitudo a subjecto, et terminatur ad accidens, dicitur enim album, quod habet albedinem. Propter quod in definitione hujusmodi accidentis ponitur subjectum tanquam genus, quod est prima pars definitionis; dicimus enim, quod simum est nasus curvus (1).

Accidens
facit cum
subjecto unum
per accidens.

308. COROLLARIUM 6.^{um} Accidens ita unitur substantiæ ut compositum exinde resultans non sit unum per se, sed unum per accidens: Et in hoc differt accidentalis forma a substantiali: quam rem egregie declarat S. Thomas: *Inter formas substantiales et accidentales tantum interest: quia sicut forma substantialis non habet per se esse absolutum sine eo, cui advenit, ita nec cui advenit, scilicet materia; et ideo ex conjunctione utriusque relinquitur illud esse, in quo res per se subsistit, et ex eis efficitur unum per se, propter quod ex conjunctione eorum relinquitur essentia quædam. Unde forma, quanvis in se considerata non habeat rationem completam essentia, est tamen pars essentia completa. Sed illud, cui advenit accidens, est in se completum consistens in suo esse, quod*

(1) 1, 2, q. 53, a. 2 ad 3.^{um} Cfr. lib. 7 *Metaph.*, lect. 4, paragr. f.

quidem esse naturaliter præcedit accidens, quod supervenit. Et ideo accidens superveniens ex conjunctione sui cum eo, cui supervenit, non causal illud esse, in quo res subsistit, per quod res est ens per se: sed causal quoddam esse secundum, sine quo res subsistens intelligi potest, sicut primum potest intelligi sine secundo, vel prædicatum sine subjecto. Unde ex accidente et subjecto non fit unum per se, sed unum per accidens: et ideo ex eorum conjunctione non resultat essentia quædam, sicut ex conjunctione formæ cum materia, propter quod accidens neque rationem completæ essentia habet, neque pars completæ essentia est, sed sicut est ens secundum quid, ita et essentiam secundum quid habet (1).

Nempe ex unione substantiæ et accidentis non resultat novum aliquid esse specificum, sed tantummodo alteratur, mutatur, ac varie afficitur idem ipsum esse specificum subjecti: quare ut superius monuimus, forma... accidentalis non facit esse simpliciter, sed esse tale aut tantum aut aliquo modo se habens, subjectum enim ejus est ens in actu (2); et in eodem actu post unionem cum accidente perseverat. Sic eo quod homini adveniat esse doctum, vel esse calidum vel album, non amittit, sed adhuc retinet suum esse specificum hominis, quod solum leviter variatur intra eandem speciem. Accedit, quod forma accidentalis «hoc ipso quod natura sua respicit subjectum habens esse alterius ordinis et prædicamenti, et non ordinatur ad constituendum vel complendum illud esse in illo ordine et prædicamento» nequit «constituere cum illo unum per se, sed per accidens, quia quod est per se unum, debet esse unius ordinis et prædicamenti» (3). Cæterum si sermo sit de accidentibus non pure extrinsecis, qualis est v. g. habitus seu indumentum, unitas per accidens, quæ ex substantiæ et accidentis compositione resultat multo perfectior est aliis unitatibus per accidens, ut recte notat Eximius Doctor. «Quamquam... forma accidentalis, inquit,

(1) Opusc. de Ent. et essent. cap. 7, Cfr. 1 p., q. 76, a. 4, corp.; quæst. 77, art. 6; lib. 2.^o de Anim. lect. 1, paragr. d; quibus et aliis in locis exponitur discrimen inter formam substantialem et accidentalem.

(2) 1 p., q. 77, a. 6. Cfr. 2.^o de Anim., lect. 1, paragr. d. et alibi.

(3) Suar. disp. 16, sect. 1, n. 13.

dicatur componere unum per accidens, nihilominus per veram ac physicam unionem illud componit, agimus enim de accidentali forma propria, quæ intrinsece suo subjecto inhæret; et ideo... hæc unitas, licet comparatione unitatis per se, analogice sit unitas, non tamen est unitas solum per metaphoram, sed quia vere et intrinsece participat aliquam rationem unitatis; in quo multum excedit entia per accidens quæ per solam aggregationem aut coordinationem talia dicuntur» (1). Et ratio est quia compositum hujusmodi ex substantia et accidenti non parum accedit ad unum per se, «quia et ea, quibus constat, non distinguuntur supposito, sicut in aliis (compositis physicam unionem non habentibus) et habent inter se majorem physicam unionem, et unum re vera est in potentia ad aliud, quamvis accidentali, et alterum natura sua est ordinatum ad aliud, et in unionem ad illud habet suam perfectionem connaturalem: in quibus omnibus hujusmodi ens (compositum ex substantia et accidenti) imitatur illud, quod est proprie ac per se unum, quamvis simpliciter et absolute unum per accidens sit» (2).

309. COROLLARIUM. 7.^{um} Juvat hic cum Card. Cajetano convenientia ac discrimina formæ substantialis et accidentalis ex S. Thoma (3) summam comprehendere. «Convenientia ac discrimina formæ substantialis et accidentalis: convenientia 1.^a»

2.^a»

3.^a»

309. COROLLARIUM. 7.^{um} Juvat hic cum Card. Cajetano convenientia ac discrimina formæ substantialis et accidentalis ex S. Thoma (3) summam comprehendere. «Convenientia ac discrimina formæ substantialis et accidentalis: convenientia 1.^a»

2.^a»

3.^a»

(1) Suar., disp. *Metaph.* 16, sect. 1, n. 14.

(2) Suarez, disp. *Metaph.* 4, sect. 3, n. 14.

(3) 1 p., quæst. 76, art. 4; quæst. 77, art. 6; lib. 2 de *Anim.*, lect. 1, paragr. d; de *Ent. et essent.*, cap. 7 init.

conveniunt est, quod neutrum habet definitionem completam propriis terminis, sed per additamentum; sicut enim in definitione accidentis oportet poni suum subjectum, quod est extra ejus genus, ita in definitione formæ substantialis oportet ponere receptivum, materiam scilicet, quæ est extra ejus genus proprium...

«Differunt autem in quinque: primo, quia receptivum formæ substantialis non habet esse per se sine esse formæ... sicut enim formæ substantialis non habet esse præter suum receptivum, ita nec suum receptivum habet esse præter suam formam. Receptivum vero accidentis habet esse per se præter esse sui accidentis. Secundo vero differunt, quia ex conjunctione formæ emanat esse illud, quo res ipsa subsistit, seu simpliciter est; ex conjunctione vero formæ accidentalis ad subjectum fluit esse, quo res secundum quid est... Tertio differunt, quia ex compositione formæ substantialis cum suo subjecto fit unum per se; ex compositione autem accidentis cum subjecto non fit unum nisi per accidens... Quarto differunt, quia ex conjunctione formæ substantialis cum materia resultat essentia quædam, tertia scilicet entitas: ex conjunctione vero accidentis cum subjecto non fit aliqua essentia tertia... Quinto differunt, quia forma substantialis etsi non sit essentia completa, est tamen pars completæ essentiae; accidens vero non est essentia completa, nec pars essentiae completæ» (1).

310. COROLLARIUM 8.^{um} Quod est accidens uni enti, non est substantia alteri. Intellige de accidente physico et in essendo, ac respectu entium, quæ sunt in prædicamento substantiæ. Ratio est, quia cum ens dividatur adæquate in substantiam et accidens, omnis realis entitas vel est in suo esse substantialis vel accidentalis. Et si sit in suo esse physico substantialis, respectu nullius potest esse accidens physicum, nam entitas substantialis non eget subjecto, cui inhæreat, accidens vero physicum eget subjecto. Ergo si quæ entitas sit in seipsa substantialis, nequit esse accidens respectu subjecti ullius. Si vero in seipsa sit et converso accidentalis,

(1) Cajetan. Comment. in opus. S. Thomæ de *Ent. et essent.* cap. 7. Cir. Suar. disp. 16, sect. 1, n. 13, 16, et per tot. section.

semper et ubique indigebit ex natura sua subjecto, cui inhæreat, ac proinde respectu nullius vere substantialis entitas esse poterit.

Dixi 1.^o Axioma intelligendum esse de *accidente physico* et in essendo; quia si sermo sit de aliqua entitate, quæ non sit in seipsa accidentalis in essendo, intelligitur, quomodo possit alteri esse accidens, quatenus pure extrinsece advenit; sicut vestis, quæ in se substantia est, quatenus extrinsecus absque physica unione advenit corpori humano, constituit accidens de prædicamento habitus. Præterea differentia specifica in genere substantiæ, respectu generis vocari potest in quodam sensu accidens, nempe accidens pure logicum et in prædicando, de quo nunc non agimus.

Dixi 2.^o Axioma intelligendum esse *respectu entium, quæ sunt in prædicamento*; nam respectu Dei, qui est extra omne prædicamentum, omnemque possibilem perfectionem cum sua simplicissima essentia identificatam habet, sunt ipsissima ejus substantia perfectiones, quæ ex suo formali conceptu nullam involvunt imperfectionem, quæque in creaturis ab earum limitationem, non sunt substantiales, sed accidentales, quales sunt v. g. scientia, intellectus, virtus etc. Verum de his alibi.

Dices. Color est accidens respectu corporis et nihilominus respectu albedinis est aliquid essenziale, cum sit ratio ejus generica.

Resp. nihil exinde sequi contra axioma stabilitum, quia non est adæquate idem *substantia* et *essentia* vel *substantiale* et *essentiale*, siquidem etiam ipsa accidentia suam habent aliqualem essentiam, ut vidimus. Sicut ergo quod non est *substantia*, sed accidens physicum, est tamen quædam essentia, ita ratio, quæ est in se accidentalis, potest esse essentialis, non substantialis, alteri.

An accidens
ignobilius sit
substantia

311. *Quæret quispiam*, num accidens necessario sit substantia ignobilius. Simpliciter loquendo et spectato essendi modo, nullum accidens esse potest substantia nobilius aut perfectius; verum secundum quid potest esse accidens substantia nobilius, et quidem triplici modo ex doctrina S. Thomæ: primo quidem, quatenus accidens est actus et perfectio substantiæ: *Nullum accidens est dignius subjecto* (sed e

converso) *quantum ad modum essendi; quia substantia est ens per se, accidens vero ens in alio. Sed in quantum accidens est actus et forma substantiæ; nihil prohibet accidens esse dignius substantiæ; sic enim comparatur ad ipsam, ut actus ad potentiam et perfectio ad perfectibile. Et sic est charitas dignior anima* (1). Quæ est etiam doctrina S. Bonaventuræ (2). Secundo, quatenus accidens est medium, per quod substantia conjungitur meliori se: *Potest... accidens considerari dupliciter: uno modo secundum quod inhæret subjecto, ex quo habet rationem accidentis, et sic omne accidens substantiæ indignius est. Alio modo potest considerari in ordine ad aliquid extra; et sic aliquod accidens potest esse substantia nobilius, in quantum per ipsum substantia aliqua conjungitur alicui nobiliori se. Et hoc modo beatitudo creata et gratia, et hujusmodi, sunt aliquid nobilius natura animæ cui inhærent* (3). Quibus similia docuit Doctor Seraphicus (4). Tertio denique quatenus accidens quandoque est clarior expressio et participatio nobilior divini bonitatis, cui proinde similis reddit subjectum, quam sit ex propria natura: quo pacto accidentia omnia supernaturalia generatim superant animam in perfectione, quia sunt altioris ordinis, ordinis nempe divini. *Accidens quidem*, inquit, S. Thomas, *quod causatur ex principiis subjecti* (proprietas) *est indignius subjecto, sicut effectus causa; accidens autem quod causatur ex participatione alicujus superioris naturæ, est dignius subjecto, in quantum est similitudo superioris naturæ, sicut lux diaphano* (5). Remque fusius explicat S. Bonaventura (6).

312. Sed jam de divisionibus accidentis aliquid dicendum est. Et primo quidem accidentia alia sunt *absoluta* alia pure

Divisiones
accidentis.
Accidens modale
et absolutum;

(1) S. Thom., de *Virtutibus*, quæst. 2, (de *Charitate*) art. 1, ad 2.
Cfr. 1 p., quæst. 16, art. 6, ad 1.^{am}; 1. 2. quæst. 66, art. 4, fin. corp.; 3 p., quæst. 11, art. 5, ad 3.^{am}; 1.^o dist. 17, quæst. 1, art. 1.^o, ad 6.^{am}, art. 2, ad 3.^{am}; 2.^o dist. 26, art. 2, ad 3.^{am}; 3.^o dist. 14, quæst. 1, art. 1, solut. 1, ad 3.^{am}; de *Veritate*, quæst. 20, art. 1, ad 1.^{am}; quæst. 20, art. 1, ad 11.^{am}

(2) 2.^o dist. 26, art. 1, quæst. 3, *Ad illud, quod obijciatur*.

(3) S. Thom., 4.^o dist. 40, quæst. 1, art. 2, solut. 1, ad 3.^{am}

(4) Loc. nup. cit. *Tertius etiam defectus est*.

(5) S. Thom., 2. 2, quæst. 23, art. 3, ad 3.^{am} Cfr. 1. 2, quæst. 110, art. 2 ad 2.^{am}, de *Veritate*, quæst. 27, art. 1, ad 6.^{am}

(6) Loc. cit., in corp. Cfr. Suarez, disp. 32, sect. 2, n. 31.

modalia. Modalia sunt puri modi accidentales (1): talia dicuntur esse v. g. figura, actio etc. Absoluta vero sunt, quæ non sunt puri modi puræve subjecti determinationes, sed adiungunt eidem aliquam entitatem: v. g. *quantitas*, *qualitas*. Non enim hic sumitur vox *absolutum* in oppositione ad relativum, sed in oppositione ad modum.

intrinsicum
et extrinsicum;

Secundo dividi potest accidens in *intrinsicum* et *extrinsicum*. Intrinsicum est illud, quod inhæret subjecto, illudque intrinsicè afficit; et in hoc proprie quadrat exposita superius accidentis notio; talis est v. g. *quantitas* vel *qualitas*, quæ physice uniuntur subjecto. Extrinsicum vero est illud, quod non inhæret subjecto, sed solum extrinsecè denominat illud, sicut habitus vel vestimentum respectu hominis vestiti, et actio transiens respectu agentis in sententia valde probabili eorum, qui negant actionem huiusmodi subjectari in agente (2).

proprium
et commune.

Tertio dividitur in *proprium* et *commune*. Proprium est illud, quod fluit ex subjecti essentia, et vocari solet proprietas vel passio; talis est v. g. *quantitas* respectu corporum, et intellectus respectu hominis. Et vidèntur sub hac appellatione comprehendi posse non solum accidentia, quæ necessario consequuntur rationem specificam, sed etiam genericam, immo et differentiam individuaalem, nempe omnia inseparabilia seu illa, quibus privari naturaliter subjectum nequit: quamvis puto apud S. Thomam nomine communium accidentium ea omnia venire, quæ non sunt proprietates sub quarto prædicabili contentæ (3). Communia e converso sunt illa, quæ non fluunt ex principiis essentialibus, et sine quibus esse subjectum naturaliter potest, v. g. doctrina in homine vel habitus virtutis aut vitii.

Aliæ sunt divisiones accidentis in spirituale ac materiale, naturale ac supernaturale etc. (4): quorum conceptus pate-scent, cum rationes spiritus et materiæ, naturalis ac supernaturalis suis locis declarabuntur. De notissima vero accidentis divisione in novem prædicamenta superius dictum est.

- (1) Revoca in mentem, quæ supra dicta sunt de modis, n. 120.
 (2) Cfr. Suar., disp. 16 *Metaph.*, sect. 1, n. 3; Lossada, *Metaph.*, disp. 3, cap. 3, n. 48, seq.
 (3) Vide S. Thom., 1.^a dist. 17, quæst. 1, art. 2 ad 2.^{um}
 (4) Cfr. Suar., disp. 39, sect. 1, n. 1-6 et 10.

ARTICULUS II.

Utrum admittenda sint accidentia realia a substantia realiter distincta.

313. Negant Cartesiani. Si enim, inquit, «omne quod reale est, aptitudinem involvit, ut existat, ac proinde substantia est, cum per substantiam nihil aliud intelligi possit, quam res quæ solo Dei concursu indiget ad existendum» (1); repugnare dicendum est in terminis notionem accidentis realis a substantia realiter distincti. Cum potissimum omnia demum accidentia realia, quorum exempla a Scholasticis proferuntur in medium, tandem vel ad spirituales animi modos revocentur, ut *cognitio* et *volitio* etc., vel ad purum localem motum motusve privationem, vel configurationem aut situm partium corporis, vel dispositionem variasque corporis affectiones: quæ omnia sunt puri modi, non vero reales entitates a substantia distinctæ (2); modi enim nihil ræi addunt, sed sunt meræ determinationes, sine quibus res concipi possunt, ut corpus sine figura, et mens sine sensu et imaginatione, licet ipsi concipi nequeant sine re modificata (3). Cæterum res modificata, prout talis, non exhibet aliquid compositum, cum modus nequeat cum re modificata compositionem facere (4), sed tantum modaliter ab ea distinguitur (5). Alii vero

Cartesianorum
opinio.

(1) Ant. Le Grand, *Institutio Philosophiæ secundum principia D. Renati Des Cartes*, pars quarta, *Physica generalis*, art. 9, n. 2.

(2) Id. ibid. per tot. artic. Cfr. ibid. *Logic.* pars prima, art. 6.

(3) Id. locis. cit.

(4) Id. ibid. *Logic.*, pars prim., art. 6, n. 8.

(5) Cartesiani cum suo duce distinctionem dividunt in *realem*, *modalem* et *rationis* (Cartes. *de Princip.* pars 1.^a n. 60, 61 et 62; Le Grand, loc. cit., *Logic.* art. 10). Et quamvis distinctionem modorum diversarum substantiarum, et distinctionem modi et alterius substantiæ, cuius non est modus, appellandum esse censeant potius modalem quam realem (Cartes. loc. cit., n. 61), distinctio tamen proprie modalis, quæ nempe inter rem modosque eiusdem intercedit, non satis constat inter eos, num ad realem an potius ad rationis distinctionem revocanda sit, prout testatur cl. P. de San (Op. cit., *Cosmolog.* n. 313 in nota).

sunt scriptores, qui quamvis inficari non videantur absolutam possibilitatem accidentium, quæ ita a substantia distinguantur, ut eidem entitatem aliquam positivam superaddant (1); nihilominus cum de singulis accidentibus loquuntur, ea generatim vel ad meros respectus externos et ordinem ad aliud revocant, vel ad modos substantiæ, qui nullum in ea realitatem ponant (2). Quo demum pacto explicare conantur, quomodo substantia absque acquisitione vel amissione intrinsecæ realitatis a se distinctæ possit dici accidentaliter mutari.

Sententia
communis Scholasticorum.

Sententia vero communis Scholasticorum agnoscit realia accidentia, quæ realiter a substantia distinguantur. Quam doctrinam, licet nondum conceptus accidentium singillatim enucleaverimus, placet hic generatim pro viribus propugnare.

314. PROPOSITIO. Dantur accidentia realia realiter a substantia distincta (3).

Dantur accidentia realiter a substantia distincta.

Prob. 1.^o Dantur veræ quædam et intrinsecæ entitates supernaturales animæ inhærentes, prout certum est ex Fide ac Theologia, ab eaque realiter distinctæ. Atqui entitates hujusmodi sunt accidentales. Ergo...

Major patet α) ex gratia sanctificante, quam Tridentinum Concilium (4) docet esse realem formam vere animæ inhærentem, quam accipimus in justificatione ceu *primam stolam pro illa, quam Adam sua inobedientia sibi et nobis perdidit, per Christum Jesum donatam, quamque renati in Baptismo jubentur candidam et immaculatam... conservare ut eam proferant ante tribunal Domini nostri Jesu Christi* etc. Eandem gratiam docet crescere in nobis augerique per bona opera (5) et amitti peccato ac pœnitentia recuperari (6), perque eandem tradunt Theologi communiter ex Sacris Litteris nos

(1) Tong. *Cosmol.* lib. 1, cap. 6 n. 234. collat. cum *Ontol.* lib. 2 cap. 2, n. 180, 4.^o; Palmieri, *Ontol.* cap. 3, de *Accidente* n. vii.

(2) Tong. *Cosmol.* cap. 5, art. 3, n. 215 seqq.; Palmieri, *Ontol.* cap. 3, thes. 17 in resp. ad 1.^{am}, 2.^{am}, 3.^{am} et 6.^{am}.

(3) Cfr. S. Augustin., de *Trinit.*, lib. 7, cap. 1, n. 2.

(4) Concil. Trid. sess. 6, cap. 7, et can. 11, 12. Cfr. tota illa sessio.

(5) Concil. Trident., *ibid.*, sess. 6, cap. 10.

(6) *Ibid.*, cap. 7, et can. 27, 28.

fieri *consortes divinæ naturæ* (1), *amici Dei* (2), *justi* (3) et *sancti* (4), et *fili Dei adoptivi* (5).

β) Ex fide, spe et charitate, quas simul infusas cum remissione peccatorum accipit homo per Jesum Christum (6), ut jam taceam de aliis virtutibus. Quis autem dixerit a Deo infundi animæ nihil reale nihilve realiter distinctum ab ipsa anima?

γ) Ex lumine gloriæ, quod consentientibus omnibus Theologis datur, ut intellectus confortetur ad visionem Dei, in qua finis hominis supernaturalis consistit, peragendam.

δ) Ex actibus intellectus et voluntatis supernaturalibus, per quos disponimur ad justificationem (7), meremur vitam æternam et augmentum gratiæ ac gloriæ (8), ac reparamur post lapsum (9). Atqui hæc omnia iterum realem ac physicam entitatem demonstrant, ab anima realiter distinctam, ut per se patet; tum quia supernaturalia sunt, ipsa vero est ens naturale, supernaturale autem et naturale toto cælo distant inter se; tum quia fide certum est animam se sola suisque naturalibus viribus nihil posse facere, per quod aut se disponat ad justificationem vel reparationem post lapsum, aut mereatur vitam æternam vel augmentum gratiæ et gloriæ. Ergo...

Minor vero syllogismi principalis per se patet. Quid enim, quæso, potest esse justitia vel gratia animæ inhærens,

(1) 2 *Petr.*, cap. 1, v. 1.

(2) *Luc.* cap. 12, v. 4; *Joann.* cap. 15, v. 14, 15.

(3) *Roman.*, cap. 3, v. 24.

(4) *Ephes.* cap. 5, v. 26; 1 *Corinth.*, cap. 6, v. 4.

(5) *Roman.*, cap. 3, v. 21. Quam ad rem nota inter Theologos communissime teneri gratiam sanctificantem esse physicam entitatem seu qualitatem in suo esse physico permanentem; controversiam vero inter eosdem eo solum devolvi, ut disputent, num id definitum sit a Concilio, Et rem definitam esse affirmant Suarez, Bellarminus, Ripalda, Valencia, Vega, Arriaga, alique; negant Sortus, Canus, Barthol. Medina et Bañez, qui tamen simul addunt, veritatem gratiæ significantis in esse physice qualitatis permanentis adeo esse certam, que negari sine ingenti temeritate nequeat.

(6) Concil. Trident., sess. 6, cap. 7.

(7) *Ibid.*, cap. 3, 6.

(8) *Ib.*, cap. 10 et 16, can. 26, 32.

(9) *Ibid.*, cap. 14, can. 27, 28.

vel fides; spes, charitas, lumen gloriæ et generatim actus vel habitus intellectus et voluntatis, nisi entitas accidentalis? An dices hæc omnia esse entia per se existentia? Hæc mihi adeo certa videntur et manifesta, ut putem existentiam accidentium saltem supernaturalium negari nullo modo posse.

Prob. 2.^o Repugnat actio, qua nihil reale agatur, id vero quod per actionem efficitur, prius non erat. Atqui dantur plures passim actiones, nec potest dici per illas omnes substantiam vel aliquid substantiale gigni. Ergo necesse est admittere accidentales entitates, quæ de novo passim in substantiis fiant; quæ proinde cum prius non extiterint a substantiis jam antea existentibus realiter distinguantur, necesse est.

Minor patet in tot cogitationibus, volitionibus, sensationibus, etc. (1), quibus continuo afficimur.

Dices forte terminum hujusmodi actionum esse respectum dumtaxat vel relationem, quæ in re aliqua de novo incipit.—**Respondeo** actionem non posse proxime et immediate terminari ad relationem, nec relationem novam incipere posse in rebus creatis, sine nova aliqua reali ratione fundandi. Ergo vel per actionem inducitur realis aliqua mutatio in alterutro saltem ex relatis extremis, vel non. Si non inducitur, impossibile erit novam resultare realem relationem inter illa extrema; nam si se reapse habent, sicut antea, quomodo, quæso, prius non habebant relationem, et nunc habent? Si autem realis mutatio inducitur, forma illa secundum quam realis mutatio accidit, est proximus et immediatus actionis terminus, quæ proinde vel erit substantialis vel accidentalis, et certe sæpe non potest esse substantialis, ut experientia ipsa notum est, v. g. in actibus intellectus et voluntatis ac facultatum sensitivarum. Ergo tantum abest, ut existentia novorum accidentium, quæ per innumeras passim actiones producantur, negari possit, surrogatis in eorum locum relationibus, ad quas terminentur actiones,

(1) Hinc illa sententia S. Thomæ: *Quidquid dicitur de potentiis animæ, tam n. nullus unquam opinatur, nisi insanus, quod habitus et actus animæ sint ipsa ejus essentia.* Cartesiani tamen cogitationem ab anima re non distingui ausi sunt dicitare. Vide Le Grand, *Op. cit. Logic.*, art. 10, n. 7; art. 6, n. 3 et 6.

ut ex ipsa novarum relationum existentia validissimum colligatur argumentum ad probanda accidentia.

Prob. 3.^o Dantur reales mutationes intrinsecæ in entibus, eæque non omnes sunt substantiales. Atqui reales et intrinsecæ mutationes intelligi nequeunt absque accessu vel recessu alicujus realitatis distinctæ a subjecto mutationis. Ergo quoniam dantur reales mutationes accidentales, necesse est realia agnoscere accidentia, realiter a substantia distincta.

Major quoad primum patet α) experientia quotidiana. An enim non mutor, vel quisnam mutatur, cum ab ignorantia in scientiam, a vitio transeo in virtutem? β) Patet etiam ratione. Quia si dantur mutationes extrinsecæ, quas nemo profecto ausus fuerit negare, dantur quoque intrinsecæ: nam in tantum extrinsece mutor ego, in quantum aliquid aliud respectu mei diversimode se habet. Ergo non possum extrinsece mutari, quin aliquid aliud intrinsece mutetur. γ) Denique si non darentur intrinsecæ mutationes, non foret Deus solus immutabilis, siquidem mutationes pure extrinsecæ possunt etiam in Deum cadere, utpote quæ nihil reale in ipso ponunt, sed solum extrinsece denominant. Itaque si res creatæ intrinsece non mutantur, nihil speciale Deo tribuitur, cum secundum Fidem et rationem immutabilis prædicatur.

Quod vero non omnes mutationes, quæ in rebus contingunt, sint substantiales, probatione non eget, et facile conceditur ab adversariis, a quibus omnis prorsus veri nominis mutatio substantialis respuitur.

Minor autem patet ex ipsa mutationis ratione; nam qui nihil reale accipit vel amittit, eodem modo se habet in seipso. Præterea est hoc firmissimum axioma superius demonstratum: *Omne quod mutatur, actu constat et potentia.* Ergo mutatio veri nominis intelligi nequit absque accessu vel recessu alicujus realitatis. Secus creatura esset actus purus, quandoquidem non haberet capacitatem aliquid recipiendi vel amittendi, cujus accessu vel recessu mutaretur.

Dices mutationes omnes explicari posse per puros modos, quibus substantiæ modificantur. Sic animus cum cogitat, vult, sperat etc., varie afficitur alium statum acquirendo, quin substantia in seipsa immutetur. Simile quiddam in corporibus, cum mutantur, contingit, vel enim figuram

dumtaxat variant, vel motum dispositionemve corporearum particularum, quas moleculas vocant. Ergo frustra fingitur accessus vel recessus illius novæ realitatis.

Resp. trans. nunc antec., quamvis id falsum esse, saltem quoad terminos multarum mutationum, suis locis demonstrabitur. Præsens enim propositio æque probata manet, etiamsi sola dentur accidentia modalia, nec postulat omnino, ut existentia absolutorum accidentium evincatur.

Neg. conseq. Quæro enim, num modi illi vel modificationes ac status novi, per quos adversariis placet mutationes explicare, sint quidpiam reale. Si non sunt: ergo res quævis, cum modos illos vel modificationes vel status assequitur, aut amittit, eodem modo, ac antea, se habet, nec mutari proinde vere potest. Si vero sint aliquid reale, vel sunt aliquid indistinctum a rei substantia, vel distinctum realiter. Si primum dicas, impossibile erit modos illos vel modificationes et status amittere, sed erunt illa rei ab initio suæ existentiae ingenta; quidquid enim cum re aliqua identificatur, semper et ubique rem comitatur, nec ab ea separari potest, nisi velis aliquid a seipso separari. Ergo iterum in hac hypothesi nulla daretur in rebus mutatio, contra quotidianam experientiam, quæ jugem fluxum perpetuamque creatorum entium variationem liquido demonstrat. Si vero dicas modos illos aut modificationes statusve esse aliquid realiter distinctum: habeo intentum, et solum esse poterit quæstio de voce, utrum illa vocanda sint accidentia, an vero modi vel modificationes: vel etiam quæstio adhuc remanere poterit, utrum hujusmodi entitates, appellentur sane accidentia vel modi, sint puri modi, an vero, saltem quædam, sint de eorum genere, quæ Scholastici dixerunt accidentia absoluta: de quo nunc minime controversitur, quamvis illico satis intelligitur gratiam et virtutes infusas non posse esse puros modos, sed suas habere entitates ab entitate naturali animæ distinctas (1).

(1) Posset etiam probari hæc propositio ex actuali separatione quorundam accidentium, puta quantitatis et variarum qualitatum, a propria substantia, quæ videtur locum habere in Eucharistia. Verum quia probatio hujus actualis separationis longam postulat disputationem, alibi, Deo favente, instituendam, omittendum in præsentia hoc argumentum esse duximus.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

315. *Objic. 1.^o* Nihil distinguitur realiter ab eo, quod sibi tribuit determinationem, sine qua non potest existere. Atqui substantia accipit ab accidentibus determinationes, sine quibus nequit existere: nam substantia præcisa ab accidentibus foret ens prorsus indeterminatum. Ergo.....

Resp. dist. Major. Nihil distinguitur realiter ab eo, quod sibi tribuit determinationem essentialiam ac specificam, *conc.*; secundariam et contingentem, *neg.*

Contra dist. Minor. Substantia ab omnibus accidentibus accipit determinationes, sine quibus nequit existere, *neg.*; nam potest profecto homo existere sine scientia, vel habitu vitii aut virtutis; ab aliquibus, *trans.* Satis enim nobis nunc est dari accidentia, quæ contingentes dumtaxat tribuunt substantiæ determinationes, nam hæc realia sint, necesse est. Cæterum non est nostrum nunc definire singillatim omnia accidentia, quæ re discrepant a substantia, ac nominatim ea, quæ determinationes necessarias et inseparabiles eidem tribuunt. Si enim tribuant determinationem essentialiam, ut specifica differentia, certe non distinguuntur re; verum hujusmodi entitates non sunt accidentia physica vel prædicamentalia, de quibus loquimur, sed pure logica, ut jam initio monuimus. Accidentia vero determinationes, necessarias quidem, non tamen essentielles, afferentia, sunt proprietates rei, de quibus alibi singillatim definiendum est, num re distinguantur a propriis substantiis, nempe cum sermo erit de quantitate qualitativisque corporeis ac de potentiis et facultatibus activis.

Objic. 2.^o Accidens intrinsece substantiam determinat. Sed nihil a substantia realiter distinctum potest ipsam intrinsece determinare. Nam 1.^o substantia et hujusmodi entitas realiter distincta duo entia forent. Ergo licet unum eorum posset quidem determinationem aliquam in altero gignere, nempe efficienter, non tamen intelligitur, quomodo illud esse possit ipsa intrinseca alterius determinatio. 2.^o Substantiam intrinsece determinari est tali vel tali modo se habere. Atqui unumquodque tali vel tali modo se habet per suum

proprium *esse*, non autem per entitatem realiter distinctam. Ergo nequeunt admitti accidentia realiter distincta (1).

Resp. dist. Major.; determinatione specifica et essentiali, *neg.*; secundaria et post completam essentiam accedente, *conc.*

Contradist. Minor.; determinatione specifica et essentiali, *trans.*; nam forma substantialis, licet a materia realiter distincta, determinat ipsam specificè et essentialiter, se ipsi communicando; determinatione secundaria et præter essentiam adveniente, *neg.*

Ad 1.^{am} prob. *dist. antec.*; forent duo entia invicem separata, *neg.*; unita sicut actus et potentia diversi ordinis, quæ per sui unionem conflant unum per accidens, *conc.*

Et *dist. conseq.*; si nullam haberent inter se unionem, *conc.*; si uniantur sicut potentia et actus, *neg.* Totius radix difficultatis stat in eo, quod adversarii non agnoscant aliam causalitatem præter efficientem. Verum sicut consentiente sensu omnium communi, præter efficientem causam datur causa formalis et materialis, ita etiam necesse est admittere causalitatem formalem ac materialem, quæ in eo consistunt, ut unitis physice materia vel subjecto et forma sive substantiali sive formali, forma quidem actuet et determinet materiam, materia vero sustentet formam, et hoc pacto utraque unita faciat unum indivisum, per se vel per accidens, prout forma fuerit substantialis vel accidentalis. Hæc quidem alibi probanda sunt, nunc tamen habere necesse est præ oculis. Quod si objicis te non posse hæc intelligere, respice radios solis, qui quasi actuantes nubem pulcherrimis vestiunt coloribus, vel ignem, qui quasi actuans ferrum, rubicundum et ignitum reddit. Et cogita, quod in hisce exemplis apparet oculis, reipsa locum habere in unione formæ, sive substantialis sive accidentalis, cum materia vel subjecto. Et sic demum intelliges, quomodo cogitatio vel volitio determinet mentem, et generatim accidentia substantiam, cui inherent, non *agendo, sed informando et actuando.*

Ad 2.^{am} probationem, *dist. Minor.*; unumquodque tali vel tali modo se habet intra speciem vel essentiam suam per

(1) Vide apud cl. de San, op. cit., n. 326.

suam propriam entitatem, *conc.*; ultra speciem et essentiam, *neg.*

Objic. 3.^o Accidens fatentibus ipsis Scholasticis cum Aristotele et S. Thoma α) non est id *quod* est, sed id *quo* aliquid est (1); β) non fit ipsum accidens, sed eo fit subjectum tale vel tantum, vel tali modo se habens (2); γ) ac denique ratio entis analogice convenit substantiæ et accidenti, fere sicut sanum prædicatur de animali et colore (3). Atqui hæc videntur aperte indicare nullam inesse accidentibus realem entitatem substantiæ superadditam. Ergo...

Resp. neg. Minor. Nam α) Accidens ideo dicitur non esse id *quod* est, quia cum non sit forma subsistens, sed inhærens subjecto, nequit esse nisi unitum et compositum cum subjecto subsistenti, et propterea ipsum non est id *quod* est, sed sola substantia; aliunde vero cum substantiam afficiat accidentaliter, communicando eidem, atque adeo toti composito, suum esse accidentale, vere dicitur esse id *quo* aliquid est: sicut non est albedo id *quod* est, nihilominus est id *quo* subjectum est album. β) Et ob eandem rationem accidens non fit per se, quia illud per se fit, quod per se est; eo tamen fit subjectum tale vel tantum, vel hoc aut illo modo se habens, quia fit in subjecto, illudque actuando diversimode afficit, et modificat pro sui natura. Verum hoc idem non minus dicendum est de formis substantialibus materialibus, quam de accidentibus. γ) Denique ratio entis quidem est analogia analogia attributionis respectu substantiæ et accidentis, sicut sanum respectu animalis et coloris, sed

(1) Arist., lib. 1.^a, *Physicor.*, cap. 3; lib. 7 *Metaph.*, cap. 4; S. Thom., 1 p., quæst. 45, art. 4; quæst. 90, art. 2; 1. 2. quæst. 55, art. 4 ad 1.^{um}; quæst. 110, art. 2 ad 3.^{um}; *de Verit.*, quæst. 27, art. 1 ad 8.^{um}; *de Potent.*, quæst. 3, art. 9; *Quodlib.* 9, art. 3; lib. 7 *Metaph.*, lect. 7.

(2) Arist., *Metaph.*, lib. 7, cap. 8; S. Thom., 1 p., quæst. 45, art. 4; quæst. 90, art. 2; 1. 2. quæst. 110, art. 2 ad 3.^{um}; *de Potent.*, quæst. 3, art. 1 ad 12.^{um}; *Metaph.*, lib. 7, lect. 7.

(3) Arist., lib. 4 *Metaph.*, cap. 2; lib. 7, cap. 1, 2, 4, 5; S. Thom., 1. 2. quæst. 53, art. 2 ad 3.^{um}; lib. 1, *Contr. Gent.*, cap. 34; 1.^o *Sentent.*, prolog. quæst. 1, art. 2 ad 2.^{um}; *de Potent.*, quæst. 7, art. 3 ad 7.^{um}; *de Ent. et essent.*, cap. 7 etc.

est analoga per intrinsecam denominationem, in quo differt a ratione sani, quæ intrinseca est soli animali.

Objic. 4.^o Non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Ergo si non repugnat quod substantia per se ipsam, absque ulla entitate sibi superaddita, habeat omnem intrinsecam determinationem, non sunt fingenda accidentia, per quæ substantia intrinsecam determinationem sibi debitam sortiatur. Atqui non repugnat, substantiam per seipsam plenam determinationem intrinsecam habere. Nam ipsa accidentia realiter distincta, quæ a nobis admittuntur, utcumque imperfectissima, per seipsa sine formis realibus superadditis sunt omnimodis intrinsece determinata. Ergo id a fortiori dicendum est de substantia, quæ est longe præstantius ens (1).

Resp. 1.^o *Trans.* totum, et *neg.* conseq. Non enim agimus in præsentiarum, utrum repugnet, necne, substantia quæ non habeat accidentia realiter distincta, propterea quod secum identificent omnem determinationem sibi debitam; sed utrum *de facto* nunc dentur substantiæ, quæ non secum identificent omnem perfectionem ac determinationem sibi debitam. Deinde etiamsi substantiæ de facto secum identificent omnem determinationem perfectionemve *sibi debitam*, nihil evinceretur contra propositionem; quia præter perfectiones vel *determinationes debitas*, possunt dari aliæ absolute non debitæ, quarum tamen *capaces* forent substantiæ. Et sic certum est ex doctrina fidei, quod natura rationalis perficiatur ac determinetur per realitates accidentales supernaturales prorsus indebitas: et certum pariter est experientia, quod res in eadem specie manentes mutantur contingenter, ac determinentur per accidentales perfectiones, ut abunde probatum reliquimus.

Resp. 2.^o *Dist.* conseq. Si non repugnat, ut substantia per seipsum absque ulla entitate superaddita habeat omnem intrinsecam determinationem, tum intra, tum præter suum esse specificum et essentielle, *conc.*; si non repugnat, ut solam habeat determinationem intra esse suum specificum et essentielle, *neg.*

Et *contradist.* Minor., *neg.* conseq.

(1) Vide Palmieri, *Ontolog.* cap. 2, pag. 398, c).

Ad probationem. Minor. *dist.*; aliqua, *trans.*; omnia, *neg.* Nam, ut de aliis taceam, quantitas non habet per seipsam determinationem omnem intrinsecam, sed per figuram et situm, qui sunt modi ejusdem realiter distincti. Quod vero accidentia, saltem plura, seipsis obtineant omnimodis intrinsecam suam determinationem, potest procedere ex imperfectissima ipsorum natura, propter quam ultra suam specificam rationem perfici nequeunt, cum potissimum in perficienda substantia finis eorum consistat.

Objic. 5.^o Intelligi non potest, quid sint accidentia, spiritusne, an corpora vel quid medium; nec qua ratione producantur, utrum creatione an alia actione, et quomodo ex uno in aliud subjectum migrent, ut cum motus vel calor v. g. ab uno corpore communicatur alteri.

Resp. Quid sint accidentia, satis patere ex dictis; sunt nempe actus vel formæ vel affectiones substantiam modificantes, quæ si subjectum spirituale afficiunt, spirituales, si vero subjectum materiale modificant, materiales sunt. Quomodo autem producantur, paulo inferius declarabitur. Denique accidens non migrat ab uno in aliud subjectum, quia cum physice affixum sit, atque inhæreat certo alicui subjecto, nec aliter esse possit, eo ipso quod ab illo separaretur, aut alio migraret, esse desineret. Itaque cum accidens aliquod, ut motus vel calor, alteri corpori communicari dicitur, non est id intelligendum per migrationem vel transitum ejusdem numero accidentis ab uno in aliud corpus, sed per effectiorem alterius numerice accidentis. Ad rem Angelicus: *Non hoc modo dicitur corpus calidum calefacere, quod idem numero calor, qui est in calefaciente corpore, transeat ad calefactum; sed quia virtute caloris, qui est in calefaciente corpore, alius calor numero fit actu in corpore calefacto, qui prius erat in eo in potentia* (1).

Objic. 6.^o Si accidentia re differant a substantia, non possent de ipsa prædicari. Atqui prædicantur, dicitur enim: *Homo est albus, doctus*, etc. Ergo...

(1) S. Thom., 3.^o *Contr. Gent.*, cap. 69, fin. Cfr. 3 p., quæst. 77; art. 1; 2.^o *dist.* 26, quæst. 1, art. 2 ad 1.^{um}; Roselli, *Summ. philos.*, tom. 5, quæst. 10, art. 2 ad 1.^{um}; Anton. Mayr., *Philos. perip.*, pars. 2, n. 1452.

An migret
accidens de uno
in aliud sub-
jectum.